



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XLVI. Paupertas hospitalis Philemonis & Baucidis conjugum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ter, qui proditionis præmia sperent, aut expectent. Nam etsi vulgò dicitur: proditionem ab hostibus amari; proditores non laudari; Minos tamen justissimus neutrum probavit. Nota est historia de *Tarpeia*, virgine Romana, quæ Sabinis hostibus Capitolium, arcem Romanam, prodidit, præmium pacta quidquid sinistris manibus haberent: aureas verò tunc armillas brachijs gestabant. Accepti in arcem, in sceleris mercedem, pro aureis donis clypeos, quos lavâ ferebant, certatim in eam conjecerunt, & necarunt. Livius. Ita contigit *Scylla*, quæ ut Pausanias refert in Corinthiacis, navi secuta Minoem pro regij matrimonij societate, turpem ac infelicem, seque dignum vitæ exitum invenit; quippe jussu regis præcipitata in undas, fluctibusque in littus expulsa, experta sepulturæ, pabulum obscœnis alitibus jacuit; inde fabulæ data occasio penas ei & volatum affingenti.

SYMBOLUM XLVI.

Paupertas hospitalis Philemonis & Baucidis,
conjugum.

8. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Philemon & Baucis multarum virtutum exemplum. 2. Paupertas, probitatis magistra. 3. Paupertas læta. 4. Paupertas liberalis. 5. Remuneratio paupertatis beneficæ.

Fortè Jupiter comitante Mercurio, humana sub specie, terrarum peragrabat orbem; delatusque in quoddam Phrygiæ oppidum, pernoctandi & hospitandi gratiam ab incolis rogabat. Exclusi sunt undique. Denique à *Philemone & Baucide*, grandævus simul ac pauperculus conjugibus, in agresti quadam casa, & tenui apparatu, neque enim aliter res ferebat domestica, excipiuntur. Anserem illi habebant unicum, & hunc ipsum hospitibus mactare parabant, nisi is volatu tardas arate effugisset manus, præsidiumque apud Deos reperisset. Delectati tanta facilitate Divi, ut non immemores officij, sic neque injuriarum sese ostenderunt esse. Jubent in vicinum montem ascendere hospitatores suos,
& ibi

& ibi rei novæ eventum operiri; viam præeunt Diſ. Pœnè evaſerant in ſummum, cùm vident totum oppidum aquarum multitudine obrutum, & omnia in lacum verſa, & ſubmerſa; ſola reſtabat domuncula, quam incoluerant. Hanc dum triſtes, & attoniti de civium ſuorum interitu, circumſpiciendo requirunt, ecce tibi! agnoſcunt eam ſubitò in elegantiffimum, atque edito loco conſtitutum templum mutatam eſſe. Facultate à Diſ quidlibet optandi oblata, id unum expetierunt votis, ædis ut illius ſacræ præſtites uterque eſſet, nec alter alterius morti ſuperſtes, tumulare neceſſe haberet conjugem. Annuit optatis Jupiter, fœditque, ut poſt decurſum fatalis ævi ſpatium, Philemon quidem in *ilicem*, Baucis in *tiliam* converteretur, perpetuòque virent ante fores templi, fertis deinceps & corollis ab incolis, adveniſque colendi.

Ethica.

I. (a) Poëtarum fabulas non paucas è ſacris fontibus derivatas eſſe ac depravatas, oſtendunt Eusebius, Clemens, Joſephus, Lactantius, alij. In hoc figmento ſub perſonis Jovis & Mercurij, hoſpitio exceptorum à Philemone & Baucide, adumbratur hiſtoria Loti Gen. c. 19. qui binos genios cœleſtes, habitu ſpecièque juvenum peregrè adveniendum, humaniſſimè in domum ſuam invitavit, tractavitque. Neque tamen eſt neceſſe commentis poëticis auctoritatem à S. Scriptura accerſere; mores etiam ex fabulis, natura & ratione duce, informantur. E præſenti fictione diſcitur. Primò. Quanta ſit mortalium durities, quanta adverſus ſuperos ingratitude. Ovidius refert de Jove & Mercurio:

Mille domos adiere, locum, requièmque petentes:

Mille domos clauſere feræ.

Deinde docetur, quanta virtus ſit, *paupertas benefica*.

----- tamen una recepit

Parva quidem ſtipulis, & cannâ tecta paluſtri.

In vili hoc tugurio quanta officiorum promptitudo, quàm illuſtre in obſcuris tectis hoſpitalis benevolentiaſtudium!

Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili,

Quo ſuper injecit textum rude ſedula Baucis,

Inde foco tepitum cinerem dimovit, & ignes

Suſcitat heſternos, foliſque & cortice ſecco

Nutrit, & ad flammas anima perducit anili.

I i

Quòdque

(a) *Multiplex virtus Philemonis & Baucidis, pauperum ac hoſpitalium conjugum.*

Quódque suus conjux riguo collegerat horto
 Truncat olus folijs: furca levat ille bicorni
 Sordida terga suis, nigro pendentia tigno,
 Servatóque diu refecat de tergo rem
 Exiguam, sectámque domat ferventibus undis.

Tertiò eminet híc etiam *paupertas patiens*: Baucis & Philemon.
 ----- paupertatémque ferendo
 Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.

Quartò, *paupertas concors*:
 Tota domus duo sunt: iidem paréntque, jubéntque.

Hinc eorum hoc votum:
 ----- quoniam concordés egimus annos:
 Auferat hora duos eadem.

Quintò *humanitas & comitas* addita benevolentia liberali:
 ----- super omnia vultus
 Accessere boni, nec inops, paupérque voluntas.

Sextò, *Relata à Superis liberalitati gratia*:
 Interea toties haustum cratera, repleri
 Sponte sua, per séque vident succrescere vina;
 Attoniti novitate pavent, manibúque supinis
 Concipiunt Baucis que preces, timidusque Philemon:
 Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.

Septimò, *Pœna inhospitalitatis & inhumanitatis*:
 ----- flexere oculos, & mersa palude
 Cætera prospiciunt, tantum sua tecta manere.

Octavò, *Repenfus pietati honos*:
 Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus
 Vertitur in templum: furcas subiere columnæ,
 Stramina flavescent, aurataque tecta videntur.

Notò, *Perennitas impensè beneficij*, semper florentis, & posterorum me-
 moriâ celebrati. *Lex* apud Ovidium oculatus rei testis:
 ----- equidem pendentia vidi

Serta super ramos: ponénsque recentia, dixi:
Cura Deum Dij sint, & qui coluere, colantur.

Id est, quibus Dij, Deorumque cultus cura fuere, & ipsi in Deo-
 rum numerum referantur.

Jam hæc morum excerpta, confirmemus pluribus.

II. (b) Deus etſi pedibus non utitur, mente tamen perambulat univerſa, & nimis quàm oculatè explorat mortalium omnium dicta, facta, cogitata: bona, malàque. Quoties pulſat divitum turres, pauperùmque tabernas, per inspirationes & inſtinctus cæleſtes, per quos, tanquam prodromos aut feciales ſuos admitti petit, audiriſque. Nihil tamen impetrat, niſi apud pauciſſimos, eòſque plerumque egentioris fortunæ, quibus paupertate magiſtrá ſtat virtus. Ex hac repulſa calamitates tam publicæ, quàm privatae immittuntur, quibus peſſimè pereunt, quos nimia proſperitas extulit. Merguntur opes vel malè paratæ, vel malè adhibita; & gemino ſæpe naufragio cum bonis fortunæ jungitur corporis, animique interitus. Secus accidit ijs, quos pauperies virtutem docuit; rapiuntur quidem communi cum cæteris fato: ſed quia nec opum, nec eorum, quæ naſcuntur ex ijs, ſcelerum opprimuntur pondere, è jactura rerum fluxarum, in portum felicis æternitatis enatant.

III. (c) Simplicitas, innocentia, & læta paupertas Philemonis ac Baucidis, mirum in modum delectavit Deos, mortali habitu peregrinantes. *Cum ſimplicibus*, aiunt ſacra proverbialia, *ſermocinatio ejus*, nempe Dei. Hos, ut Venerabilis notat Beda, cœleſtis ſapientiæ ſecretis illuſtrat, quia terreni faſtûs ac duplicitatis nihil habere conſiderat. Et Salomon loc. c. c. 19. *Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm dives torquens labia ſua.* Ille enim doli expers, candidè, innocenter, integregèque vivit; hic varias in artes & fraudes ſe vertit ac torquet, ut paret opes. Iterùmque cap. 15. idem profatur: *Melius eſt parùm cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles.* Nam ex his moleſtiæ, labores, angores, curæ conſervandi & augendi; & ſuperbia in habendis. Tenues autem facultates cum mente bona miram pariunt ſecuritatem, quietem, hilaritatem, modeſtiam, ſobrietatem. Vnde S. Chryſ. hom. in pſal. 4. Paupertatem vocat matrem philoſophiæ, id eſt, veræ ſapientiæ. Magnus laudator paupertatis Annæus, cum alijs locis, tum epist. 2. Honeſtiſſima res eſt læta paupertas; Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non qui parùm habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, quantum ſœneret, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quod neceſſe eſt: proximus, quod fat eſt. Cui, quod ſatis eſt, ſatis non eſt, nihil ei ſatis erit. Et Divus Bernardus de quin-

I i 2

que

(b) Paupertas magiſtra virtutum. (c) Paupertas læta eſt ſecura.

que negotiat. Opum collectio plena laboris; possessio plena timoris; amissio plena doloris est. Divitiæ, cum amantur, inquinant; cum augentur, onerant; cum minuuntur, cruciant, De beata & secura paupertate Seneca Poëta in Hippolyto:

Quanti casus humana rotant!

Minor in parvis fortuna furit,

Leviusque ferit leviora Deus.

Servat placidos obscura quies,

Præbetque somnos casa securos.

Idem in Octavia:

----- Bene paupertas

Humili tecto contenta latet:

Quatiunt altas sæpe procellæ,

Aut evertit fortuna domos.

Et Claudianus:

Vivitur exiguo melius: natura beatis

Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.

Confer inter se pauperem & divitem: cerne vultum utriusque. Hic plenus sollicitudinum tetrica facie tristitiam animi prodit: ille serena fronte sincerum mentis gaudium ostendit; hujus inter curas cor exedentes, bracteata felicitas est: illius mens mœrore vacua, internæ pacis jucunditate perfruitur; Hic quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miserrimus, ad omnes fortunæ injurias expositus, quò plus habet, plus cupit: ille in paupertate ditissimus optat, quod satis est, nihil timens: quia nihil habet, quod sibi adhæreat, quod eripi possit. Quàm latos dies ducit pauper, quàm placidas noctes! dives autem æger animi, morbum suum quocunque pergat, secum trahit, spinis undique circumseptus.

Græcus Comicus ait:

Πενταν Πέγειν ἔ παντὸς, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφῆς.

Inopiam ferre non cujuslibet est, sed viri sapientis.

Qualis fuit Philemon; qualisque erat Abdalonymus, ille, à ligone & pala hortensi ad sceptrum regni Sidonij ab Alexandro M. vocatus. Rogatus, inopiam qua patientiâ tulerit (nam regia stirpe oriundo, causa paupertatis, probitas erat) respondit: utinam eodem animo regnum pati possem! hæc manus suffecere desiderio meo; nihil habenti, nihil defuit. Ex quo sermone magnæ specimen indolis hausit rex. Curt. lib. 4. c. 2. De paupertate Lucanus lib. 5. Phansal. ----- ô

----- ð vitæ tuta facultas
 Pauperis, angustique laris! ð munera nondum
 Intellecta deum! quibus hoc contingere templis,
 Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
 Cæsarea pulsante manu?

Et Petrarca lib. 1. de remediis utriusque fortunæ. Paupertas mihi
 gravis est, imò tu gravior paupertati. Non in paupertate vitium est, sed
 in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta; tu illam opinione gravem
 reddis.

IV. (d) Apparuit in his conjugibus liberalis paupertas. Primò
 receperunt humanissimè in tugurium suum hospites, ubique exclusos. 2.
 Apparaverunt cænulam juxta fortunulas suas, ne unico quidem anseri
 parsuri. 3. Bonos super omnia addiderunt vultus, & mira comitate pau-
 pertinam mensulam condiebant. Verissimè sapientissimus & opulentissi-
 mus regum. Prov. 15. *Melius est, vocari ad olera cum charitate, quàm ad*
vitulum saginatum cum odio. Hospitalitatis enim virtus non tam in splen-
 dore epularum, quàm in animi benevolentia, & officiosa charitate confi-
 sit. Hinc Siracides c. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et
 Tobias senior hoc juniore præceptum dedit cap. 4. *Si multum tibi fuerit,*
abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter imper-
viri stude. Fecerunt hoc Philemon & Baucis. Hic ruborem ducant illi,
 qui in Deos ipsos sordidi sunt, quibus offerunt facem & vappam, ipsi flo-
 rem vini bibunt. Barbari in novo orbe inveniuntur, qui detritos calceos
Montium & Viarum diis dedicant, ut prosperum iter obtineant. Sic qui-
 dam eius rei, quàm fortè inveniret, dimidium vovit. Reperit in via sac-
 culum nucibus plenum; nucleos ipse voravit, putamina ad statuam Mer-
 curii projecit. Alexandro Magnò etiamnum puero sine parsimonia thura
 ingerenti aris, pædagogus Leonides dixerat, ut illo modo, cum devicisset
 odoriferas regiones, supplicaret. At ille Arabia potitus, thure onustam
 navim misit, exhortatus, ut largè deos adoraret.

V. (e) Sed jam huius in paupere censu beneficentiæ præmium vi-
 deamus; nam Superi non tam ad operis magnitudinem, quàm animi
 promptitudinem attendunt. Bonam, inquit S. Augustinus in Psal. 105.
 Deus voluntatem coronat, quando non invenit facultatem. Et teste D.
 Bernardo, tantum mereris, quantum vis; bona crescente voluntate, pa-
 riter crescit & meritum. Sicut crevit pauperibus his conjugibus. Nam
 1. communi aquarum inundantium cladi soli ex omnibus subtracti sunt.

I i 3

2. Ipsorum

(d) Paupertas liberalis. (e) Remuneratio paupertatis benefica.

2. Ipsorum casa mutata est in amplissimum templum. 3. Sacerdotes templi sunt à diis ipsis consecrati & constituti. 4. Perpetuum remuneratæ pietatis monumentum illi ipsi fuerunt, dum in arbores conversi, virorem immortalem induerunt, donisque & muneribus, tanquam latentes in ligno dii, affecti fuere. 5. Ex ilicè seu quercu plectebatur olim Corona civica; quæ dabatur ei, qui in bello servarat civem. Quidni deberetur ea Philemoni, qui deos ipsos ubique rejectos & spretos, hospitio servavit. Tilia cariem non patitur; Baucidis manus, quæ diis hospitibus serviebant, putrescere non debere. Hic locum habet illud Prov. 12. *Juxta opera manuum suarum retribuetur ei.* 6. Quercus & tilia, uti constat, altissimas radices agunt: tantoque sublimius extollunt ramos, quanto profundius demittunt in terram fibras. Hoc Philemon & Baucis meruit; utrumque ex humili sorte virtus extulit, nubibus inferuit, diis parem:

----- manetque pii nunquam non gloria facti.

VI. (f) De concordia conjugali quid dicam? Etiam mortui non potuere mori, quia dum vivebant, rixari nequiere. De hoc argumento alibi dictum. Hic sufficiat id unum adjecisse, conjugalis vinculum conjunctionis expressum emblemate eleganti per flores in corollam ligatos; adde lemma: *Quò nexus arctior, hoc jucundior.* Maritalis nodus foederis stringit & arcet; animi namque conjugum mutua charitate devincti perumpi nequeunt livore, malevolentia, suspicione, perturbatione; *resistunt ligata.* Philemon & Baucis, jam arbores, facti, ventis quidem concutiebantur, non tamen dejiciebantur: *Vicerunt cedendo.* Maritum considerans uxor, sibi dicat: *cede majori.* Ille vicissim sibi occinat: *parce minori.*

VII. (g) Inhospitatis animi pœnas si non alio loco attigissemus, posset hoc argumentum pluribus hic tractari argumentis. Ne longius excurramus, satis erit unum, sed rarius, huius rei documentum huc apponere, Sophronius, seu Moschus, in prato spiritali memorat c. 167. de quodam anachoreta, viro sanctitatis eximia. Pastoritiam is prius degebat vitam, & acribus molossis, tam ipse, quam pastores ceteri gregem solitariis in locis à prædonum & ferarum incurfu defendebant. Fortè peregrinus in eam viciniam delatus, orabat hospitium. Nil impetravit. Igitur sub dio pernoctare coactus, à canibus invaditur & discerpitur. Innotuit ea cædes homini aliquanto post tempore, tum inter anachoretas agenti. Subit animum magna criminis pœnitudo; ideoque supplex rogat superos, ut eius duritiei veniam impertiant. Exinde discit è cælo, pœnas ipsum inhumanitatis per canes, tanquam per talionem, daturum.

Nec

(f) Conjugale vinculum. (g) Inhospitatis pœna.

Nec aliter evenit. Qui leones habuit innoxios & familiares inantro comites, canum expertus est iram. Fortè ruri ambulabat, cum molossi in eum irruentes, mordaciter dentes, quos ab hospite quondam non averterat, strinxerunt, & miserè dilaniarunt. Minatur Siracides c. 3. *Cor durum male habebit in novissimo.* Expertus hoc, de quo diximus, anachoreta, qui, postquam culpam eluit, supplicium tamen temporale non evasit. Idem experti sunt cives Philemonis & Baucidis, qui quòd saxa magis quàm homines fuerint in Divos, undis superobrutis, si non molliendi, certè sicut scopuli regendi erant.

SYMBOLUM XLVII.

Erisichtonis fames insaturabilis, eiusque filia in piscatorem, aliasque formas mutatio. *S. Metam.*
Famis & Invidia imago.

Ethicè.

1. Gravia famis mala, 2. Supplicium gulæ, fames est. 3. Impietas parentum redundat in liberos. 4. Malarum cupiditatum fames. 5. Invidiæ domus, & imago.

Erisichton Thessalus fuit, Deorum contemptor; qui nemus consecratum Cereri, ac in eo quercum sacrosanctam, in qua scilicet dea silvestris habitabat una de numero *Hamadryadum* (quæ cum arboribus, nascuntur & intereunt *ἀπὸ τῆ ἀμα, καὶ τῆς θεῶς*) succidit. Tanta impietas commovit omnes nemorum nymphas, ut supplicabundæ ad Cererem se reciperent, oratum, ne scelus hoc inultum pateretur. Audiit preces dea frugum, & Numinum irrisorem Erisichtonem, novo pœnæ genere, assidua videlicet fame cruciare decrevit. Fabulam oblectationis causâ *παροφρασίχως* ex Ovidio depingemus.

Erisichton ex Thessalia oriundus, Deos omnes despectum ibat, nec cuiquam sacrificare dignabatur: eò demum impietatis progressus, ut nemus Cereri sacrum ausus sit violare, & arbores vetusta religione Venerabiles cædere. Inter eas arbores Quercus erat, ramis latè diffusis, vittis & fertis, voti causa appensis, sacrosancta. Ad eam stirpem tam eximiam *Dryades* silvarum Deæ, solebant choreas instituere, & festis ludis honores Deæ frugum